

quomodo peccasti. Et
sunt sancti. Et sunt
sunt et gratiam. Et
spatium est illis.
Et sunt ad salutem
Christi cum gladius illis
eis respiciendo me.
Cohibere enim regnum
interdico domus. Et
me fecerunt. Sed ut ad
impleantur scripturae.

in christum. Et
testimonium faci
sunt aduersus
regem. Et quibus
sunt testimonium
sunt aduersus
Et non moram
cum dicitur. Et
templum hoc in
et post traditur.

Contente

- i Iusti Titulari Hispania et vaclorum xv
- Arminio tria linguarum in
- 2 D. Christ. Keluzi de p. dylinat
- 3 D. Geor. Myllii de p. de h. p. anti. p. u.
- 4 D. Jac. Hebraei de p. de h. p. anti. p. u.
- 5 D. Stoph. Gerlachii de iure inorum
- 6 D. Christ. Keluzi de p. de p. xv
- 7 Ring die h. p. et h. p. Contra Strabon
- 8 D. Tilman Hebraei Ordentzke de p. u.
- 9 Ioach. Klotzschii de p. u.
- 10 Geor. Stör Synopsis de Exorcismo
- ii M. Christ. Kittel in an. Zehn in h. p. u.
- de Calvinista de p. u. et h. p. u.
- 12 Licentiat Capp. Raddekerus de i. p. u.
- Walt. zwelt de p. u.
- Georg. de p. u.
- D. Tilman Hebraei Warnung für die
- gemeinschaft mit den Calvinisten
- W. P. Joh. Wigand de Warnung. W. P. u.
- de p. u. de p. u.

21

Vera & Orthodoxa
DE
PRÆDESTINATIONE
hominum æterna

ASSERTIO,
Aliquot Theſibus comprehenſa,
& in γυμναſτικὴν ſimul καὶ δογματικὴν
Collationem publicè
propoſita

à
CHRISTOPHORO PELARGO D.

Respondente
GEORGIO SADLERO
Transyluano.

a. d. V. Cal. Octob.



FRANCOFVRTI
Exſcripſit Andreas Eichorn,
Anno reparati orbis
M. D. XCII.



Pietate vera,
fide sincera,
doctrina erudita,
virtutibusq; multis,

Reuerendo & præstanti
VIR O,

Dn. GEORGIO SADLERO,
ECCLESIAE CHRISTI
Pastori in Transylvania,
Alba dicta Ecclesia

Parenti S. debito honore, amore, &
cultu semper afficiendo,

THEOLOGICI STUDII
Ἐπίδειγμα hoc,

Lubens meritoq;
offert

FILIVS GEORGIVS.



Legans est The

*odoreti sententia: ἡ δὲ τὰ
κεκρυμμένα ζητεῖν, ἔδὲ τὰ δεδηλω-
μμένα παντελῶς ἀγνοεῖν: quæ ab-*

Dial. 2. p. 3.

*scondita sunt, non fas est
quærere: quæ vero reuela-
ta, nefas etiam penitus ig-
norare. Quibus verbis Ἔ curiosam, adeoq; peri-
culosam mysteriorum DEI inquisitionem pro-
hibet: simulq; nobis studium commendat ea per-
scrutandi de DEO Ἔ rebus diuinis, quæ in ver-
bo diuinitus patefacta, Ἔ nobis expressa sunt.*

II.

*Id quidem obseruandum nobis semper: cum
primis autem in articulo de Prædestinatione, in
cuius consideratione multos Icarī ἀεπέτεια Ἔ
Phaëthontis impetus supra cælos infeliciter sustu-
lit Ἔ deiecit: multos Epicuri luxuries ab eius ve-
ra scientia, Ἔ meditatione sobria reiecit: prudens
autem pia Ἔ reuerenter suscepta explicatio plus-
rimos erexit, Ἔ non leuiter confirmauit.*

III.

Quantum ergo scripturæ aperta permittit

A 2

Veri-

August. 6. hy-
pognost.
& lib. 2. de
bono Perse-
uer. c. 20.
Lib. de sect.
Manich.

Veritas, acturi de Prædestinatione, quam negare
immanis est blasphemia, non prædicare summa
est impietas, principio distinguimus cum Da-
masceno, inter γνώσις, πρόγνωσις, επίγνωσις, όρισμὸν καὶ
προόρισμὸν. Γνώσις seu cognitio est, scire ea quæ sunt
vel fiunt. Πρόγνωσις autem, præscientia, scire quæ
futura sunt, antequam fiant. Επίγνωσις, subsequens
cognitio est deprehenso & reiecto errore qui in-
teruenerat, vera cognitio. Όρισμὸς est lata de re
iam facta sententia. Προόρισμὸς lata de re futura
sententia.

IV.

Psal. 139. 3.
Is. 44. 7.
Eph. 1. 4.
Ro. 8. 30.

in Dial. de
Manich. her.
& lib. 2.
Or. h. fid.
c. 30.

Ac DEO sanè tribuimus cum scriptura
præscientiam, præuisionem & prædestinationem:
sed ita distinctè: ut præuisio illa & præscientia,
quamuis vera & immutabilis, non tamen causa
sit, ut id quod fit, necessariò sic eueniat. Præcogno-
scit namq̄, ut cum Damasceno loquar, multa
DEVS, quæ ipsi ne utiquam placent, & quo-
rum causa minimè existit: quemadmodum nec
Medicus causa est morbi, quo correptum iri quæ-
piam præuidet. Prædestinatio autem, quæ circa
saluandorum curam occupatur, etiam causa est,
& huic salus nostra ceu fundamento certo inni-
titur.

Huius

V.

Huius *θεοεπισμῆ* cognitio non naturalis nobis est: neq; ex Lege, qua iratum nobis proponit DEVM, & nos utpote inobedientes condemnat, sed ex Euangelio tantū patet, in quo omnis DEI iusticia reuelatur. Quamobrem Apostolus: DEVS, inquit, notum nobis fecit mysterium voluntatis suæ, secundum beneplacitum suum quod proposuerat in sese. Et Petrus: σωτηρία ἔτοιμη δὲ δοκαλυφθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, salus parata est pariter fieri tempore ultimo.

Rom. 1.17.
Eph. 1.9.
1. Pet. 1.5.

VI.

Non quod tum demum cœperit: est enim æternum hoc decretum, ante mundi constitutionem, ante secula temporaria factum: sed quod in dispensatione plenitudinis temporum in CHRISTO nobis reuelatum, de saluandis nimirum omnibus hominibus quotquot CHRISTVM vera fide apprehendunt.

Eph. 1.4.
Gal. 1.15.
2. Tim. 1.9.
Ioan. 17.23.
24.
1. Pet. 1.20.
Matth. 25.
34.
1. Cor. 2.7.

VII.

Hoc enim de voluntate DEI nobis patefecit Euangelium: quod absolutè NOLIT mortem Morientis, exitium & interitum Impij: nolit, ut VLLVS pereat: nolit, ut unus pereat de pusillis istis: Contra VELIT OMNES sal.

Ezech. 18.23.
32. & 33. 11.
2. Pet. 3.9.
Matth. 18.14.

1. Tim. 2.4
Eph. 1.3.
Ioan. 3. 15.

uos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, in
CHRISTO, quem Mundo dedit, ut **OMNIS**,
qui credit in eum non pereat, sed habeat
vitam eternam: sicut ipse etiam Servator:
Hec est, inquit, voluntas eius, qui misit me, ut
OMNIS, qui videt Filium, & credit in eum,
habeat vitam eternam.

Ioan. 6.40.

VIII.

2. Pet 3.9.
Ioan. 3.16.
Ioan. 1. 36.
1. Ioan. 2. 2.
Es 53. 6.
Tit. 2. 11.

Neque verò est de aliquibus duntaxat, sed
OMNIBVS planè accipienda hæc **DEI** vo-
luntas: quia vult **OMNES** ad penitentiam
recipi, **OMNES** saluos fieri, Mundum dilexit,
MVNDI peccatum Agnus tulit, qui propiti-
atio est, non pro nostris tantum, sed pro peccatis
TOTIVS mundi: **OMNIVM** peccata
tulit; **OMNIBVS** hominibus illuxit salutis
fera **DEI** gratia.

IX.

Rom. 14. 15.
1. Cor. 8.11.
2. Pet. 2.1.

CHRISTVS passus etiam pro his qui
PEREVNT: ne esca tua illum **PER-**
DAS, **PRO QVO CHRISTVS** mortuus
us est: & alibi: sic peribit frater tuus ista tua sci-
entia, qui infirmus est, propter quem **CHRI-**
STVS mortuus est. Quapropter & Pseudopro-
pheta abnegare dicuntur Dominum, τὸν ἀρνεῖσθαι
τὸν κύριον

ταῦτ' ἐστὶν δεσπότην, qui **IPSO'S MERCATVS**
est.

X.

OMNIBVS annuntiatur & offertur
DEI gratia, cum in sacro baptismo, quem confer-
ri iussit **OMNI** creatura: tum in ministerio ver-
bi, in quo **DEVS** expansis tota die manibus,
nos ad Cœnam illam magnam vocat, denunci-
ans **OMNIBVS** hominibus ubiq̃, ut resipiscant.
Quod non de omnium ordinum & nationum si-
ue etiam conditionum hominibus iuxta Sacramen-
tariorum glossema, accipi debet: sed de uniuersis
& singulis, quorum Creator & Dominus est.

Marci 16 15.

Es. 65. 2.

Luc. 14. 16.

Act. 17. 30.

XI.

Vnde manifestum satis, voluntatem **DEI**
non esse de paucis solummodo saluandis, eamq̃ ab-
solutam, sine ullo fidei in **CHRISTVM** res-
pectu: neq̃, verò de pluribus, ad interitum simpli-
citer abripiendis ob decretum æternæ Reprobatio-
nis, quod fingunt aduersarij, absolutum: alioqui
enim frustra **DEVS** **NOLLE** se dixisset
mortem morientis & interitum: frustra **CHRI-**
STVS pro **OMNIBVS** passus esset: simulatè
& fictè tantum uniuersi vocarentur voce Eu-
angely: fictæ etiam essent saluatoris lachrymæ,
& ques

LUC. 19. 14. *Et querela de interitu Iudæorum: tota Euangelij*
Matth. 23. 37 *concio mera esset hypocrisis. τὸ δὲ μὴ γύοιτο.*

XII.

Rectius ergo id statuimus: Prædestinationem esse *πρόθεσις*, tale voluntatis DEI æterna propositum, quo secundum gratiam suam, ante iacta mundi fundamenta in CHRISTO elegit, in quibus filios adoptauit OMNES, quos in Filium suum credituros *Et* ad finem usque perseveraturos præsciuit: in eum finem, ut sancti *Et* irreprehensibiles essemus coram ipso, *Et* in nobis suam ipse declararet misericordiam *Et* gloriam.

XIII.

Non respicit DEVS opera nostra neque præcedentia: quia nobis nondum natis, immò *πρό τῆς καταβολῆς κόσμου* sibi nos delegit in CHRISTO: neque vero subsequentia: quia gratia non esset merè gratuita, *προσωποληψία ἀπροσωπολήπια* DEO tribueretur: *Et* electorum opera bona quæ solius DEI dona, at imperfecta sunt, dubitationem nobis de vera salute perpetuam iniicerent.

XIV.

In nobis quid inuenit DEVS nisi peccatum? ac proinde ἐξ ἴσου, omnes æternæ damnationi mancipare potuisset, nisi gratia, clementia, *Et* beneplacito
cito

rito suo per Θ propter Filium nos elegisset: sicut Rom. 11. 5. 6.
Apostolus ἐκλογῶν Gratiam DEI nominat: ubi tract. 86.
August. Electio gratia est: gratia autem non est in Ioan. Vide
gratia, si praecessisse contendimus merita. eū. de Grat.
& lib. arbitr.

XV.

Nec alia est Electionis nostra quam Iustifi-
cationis causa nobis in sacris literis patefacta:
ut quod τῆ χάριτι, τῆ ἁδοκίᾳ Θ eligimur Θ iustifi- Rom. 3. 24.
camur. Eph. 1. 5. Quapropter caelorum adyta non sunt per-
rumpenda, non cum Petauristis Θ ἀεροβατῶσι sub-
uolandum: sed ex verbo DEI, Θ ut monet
Dn. Lutherus, ad cunas CHRISTI discen-
dum, quomodo nos per Θ propter Filium suum,
DEVS ex mera gratia Θ ineffabili misericor-
dia elegerit, praedestinaritue ad vitam aeternam.

XVI.

Scriptura nullam reprobatorum siue damna-
torum Praedestinationem tradit: neq; de arcana
DEI voluntate, qua reuelata Θ patefacta no-
bis, contraria sit, somniare licet: siquidem ipsa
κατάκεισι non in DEO sed in hominibus extre-
me incredulis causam inuenit.

XVII.

Ut enim Electionem fide apprehendimus, si-
ne qua ἀδυνάτου ἀαρεσησῶν θεῶ: ita reprobationem seu Ebr. 11. 6.
B reie-

reiectionem extremam finalis à misericordia efficit: iuxta
aperta & avariis loca: Qui NON crediderit,
Marc 16.16. condemnabitur: qui non credit in Filium, ira
Ioan 3.36. DEI manet super eum: quemadmodum Aposto-
lus quoque de Iudaeis affirmat, ad legem iusticiae non
peruenisse eos & reprobatos esse, quod non ex fide,
sed ex operibus legis iustificari volebant: per infi-
delitatem rami isti dirfracti: propter contemptum,
Rom. 11.20. Luc. 14.24. indigni coena gustu habiti sunt.

XVIII.

A misericordiam causam quæris? Illa etiam in DEO
non est, qui per verbum auditum operari vult &
esse efficax: partim verò à maiorum ingratitude
& contemptu: partim à propria negligentia, aut
hæresi aliqua, vel hypocrisi & odio, aut agro pe-
troso, & duritie cordis prouenit.

XIX.

Cur autem Fidem non omnibus donet DE-
VS nobis est. ἀγνοῦσιν, quibus cum Apostolo excla-
mandum: O altitudo diuitiarum sapientia & sci-
entia DEI, quam incomprehensibilia sunt iudi-
cia eius. Augustinus rectè; cur fides, inquit, non o-
mnibus detur, fidelem mouere non debet, qui cre-
dit ex vno omnes esse in condemnationem sine du-
bitatione iustissimam, ita ut nulla esset DEI ius-
tare.

Rom. 11 v. 33.
lib 1. de Præ-
destin. Sanct.
c. 9.

Ita reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur.
 Unde constat, magnam esse gratiam, quod pluris
 mi liberantur, & quid sibi deberetur in eis, qui
 non liberantur, agnoscunt, ut qui gloriantur, non
 in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis,
 sed in Domino gloriantur. Cur autem istum poti-
 us, quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia
 eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim,
 & hoc audimus, & docemus: O homo, tu qui
 es, qui respondeas DEO? quam dicere audea-
 mus, quasi nouerimus, quod occultum esse voluit,
 qui tamen aliquid iniustum velle non potuit:
 Hæc ille.

XX.

Quod de Esau obijcitur ex Apostolo; id quia Rom. 9. 10.
 propheticè dictum erat de corporali quadam & Gen. 25. 23.
 externa prerogatiua ob quam minori Maior ser-
 uire & subiectus esse prædicebatur: ut totus scri-
 pturæ sacræ contextus ostendit, non potest ad
 sempiternam Esau reprobationem & extremam
 abiectiōem referri, nisi typicè. In populis namq̃
 ab utroq̃ descendētib; completum postea id va-
 ticinium sic legimus: ut posteri Iacobi superarent
 sibiq̃ subijcerent Esauitas siue Idumæos, quod hi; 2. Sam. 18. 14.
 storiæ testantur & David Psal. 60. 10. Super E. 2. Paral. 18.
13.

B 2

dom

dom projciam calciamentum meum. Propterea
 Iehoua ad Ribcah uxorem Iacob dixerat: Duæ
 gentes in utero tuo, & duo populi de visceribus
 tuis diuidentur: populus autem populo robustior
 erit, & maior seruiet minori: Fuitq; ser-
 uitus ista certit temporis, iuxta oraculum &
 prædictionem Patris: Fratris tuo seruiet: cum au-
 tem incipies dominari, franges iugum eius à collo
 tuo: Quod tempore Ahab, cum Edom proprium
 sibi regē eligeret, cumq; percuteret multos de Iehu-
 da, & captiuos abduceret, completum est. Quid?
 quod annotante Luthero, textus testatur, multos
 ex Edom saluatos esse, non ideo quod essent filij E-
 dom: sed quia promissionem fidei apprehenderunt,
 iuxta sententiam Pauli: non qui filij carnis, hi fi-
 lij DEI, sed qui filij sunt promissionis.

XXI.

Interim non negamus reiectionem illam ex-
 ternam à Iure primogenituræ, typum esse, neutiq;
 quam verò παράδειγμα sempiternæ. & inde tamen,
 ut in alijs typis & allegorijs non consequi neces-
 se est iustam omnium partium accommodationem.
 Typus hic est: quod sicut nō ex carnali prerogatiua
 aut natiuitate estimandum erat de iure πρῶτοτοκί-

ας, nec

Gen. 25. 23.

Gen 27 40.

2. Reg 8. 20.

22.

2 Paral 21. 8

2. Paralip.

28 17.

Vide Luth.

1. 6. Vvit.

Pag. 365.

Rom. 9. 8.

as, nec concludendum: quia Esau maior natus; i-
deo obtinebit omne ius omnemq; à Patre benedicti-
onem: cum misericors DEI electio, nullum verò
hominum opus, antequam nascerentur, Iaco-
bum superiorem esse, Esau minori seruire volue-
rit: Ita ex privilegio carnis, atq; operum iusticiã
non posse concludi de spiritali λογία καὶ κληρονομία
vitæ æternæ: sed omnem Iusticiæ, Electionis & ac-
ceptionis modum in sola eligentis misericordia
& gratia constituendum esse.

XXII.

Quod si maximè ut Paradigma Reprobatio-
nis ab Apostolo adductus videri possit Esau: nus-
quam tamen probabitur, odio DEI simplici &
absoluto reiectum eum, sed fortè (quod tamen non
largimur) propter contemptum promissionis divi-
næ: quo respexisse autorem epistolæ ad Ebræos opi-
netur fortasse quispiam: cum ait: prospicite ne
quis deficiat à gratia DEI: ne quis scortator aut
profanus, velut Esau, qui unico edulio vendidit
suum ius primogeniti. Scitis enim quod & postea
cum vellet hereditario iure benedictionem asse-
qui reprobatus sit: non enim reperit pœnitentiæ lo-
cum, quamvis cum lachrymis benedictionem il-

Ebr. 12. vers.
15. 16. 17.

in 25
Gen pa. 375.

lam exquisisset. Quae verba explicans Dn. Lutherus: non, (inquit) quod non sit saluatus, sed quod nullis lachrymis benedictionem semel amisam consequi potuerit: alibi ad funus Isaaci venisse etiam filiū Esau ideò affirmat, cum, ut obedientiam & reuerentiam erga patrem declararet: tum ut vera Ecclesia ciuem se quoq; profiteretur.

in 35 c. Gen.
pag 527. f. b.

Est enim, ut Lutherus ait, signum certum redisse se eum in gratiam cum fratre, & se adiunxisse vera Ecclesiae, ut fieret particeps promissionis spiritualis, si non ex promissione, tamen ex gratia: sicut nos gentes recipimur in gratiam, non ex promisso, sed ex misericordia.

XXIII.

Rom. 9 15.
18.

Secundo obijcitur: DEVM misereri cuius vult. Id sanè nemo sanae mentis inficias iuerit: inde tamen Electionis particularitas inferri nulla potest: cum ex ipso Apostolo doceamur; verba haec: miserebor cuiuscunq; misertus fuero: item: cuius vult, miseretur, opponi Iudaorum atq; aliorum murmuri, qui iniusticia DEVM arguunt, suoq; operi praemium vel mercedem beatitudinis aeterna deberi statuunt.

Misere.

XXIV.

Miseretur cuius vult, non tamen unius forte
 tē aut alterius ἀπλῶς καὶ ἀδιορίτως: Quis enim nega-
 re ausit, quod ab Apostolo gravissimè enuncia-
 tum. Concluserit DEVS omnes sub peccatum, ut
 OMNIUM misereatur? Sed quia ut Iuda-
 os incredulos, ita alios etiam CHRISTO non
 credentes sua non vult dignari misericordia, ut
 pote qua se ipsos δι' ἀπιστίαν indignos faciunt.

Rom 11. 32.

XXV.

Tertio obijciunt: Pharaōnem ideo excitatum
 à DEO, ut in eo suam ostenderet potentiam,
 eiusq; nomen annuntiaretur in uniuersa terra.
 At enim uerò non hic efficientis, finalis tantum
 Cause mentio fit: quod nempe obstinatam illam
 Pharaōnis pervicaciam, cuius autor minimè erat
 DEVS, ad laudem & gloriam suam dirigere
 velit: quemadmodum peccata se impulsore & au-
 tore non orta, ad finem quandoq; salutarem de-
 stinare potest is, qui, ut Fulgentius loquitur, tan-
 tum vult quantum potest, & quantum vult,
 tantum potest.

Ex 9. 16.

Rom. 9. 17.

XXVI.

Indurat vel obdurat συγχωρητικῶς non ἐνεργητι-
 κῶς,

κως, permissivè non effectivè: Et sicut figulo fas est, ex eadem massa formare honoris vasa atq; ignominia: ita iustissimi DEI iusticiam nemo audet reprehendere, quod indurari sinit eos, qui sponte suâ Et duritie propria siue malitia recesserunt à verò DEO, seq; opifici extrema opponunt incredulitate. Obduratio enim DEI, Augustini sententiâ scriptura congruâ, est nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur: vel, ut alio loco Augustinus loquitur, non obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.

*Jerem. 18. 6.
Esa. 45. 9.
Rom. 9. 20.*

*August. lib. 1.
ad Simplic.
quæst. 2.*

*August. epist.
105. ad sext.
Rom.*

XXVII.

Nec falsum dixeris, si DEVM impios Et extremè incredulos, volentem, potestati Satanae permittere Et tradere asseueres: voluntate autem non antegrediente, sed subsequente. Etenim præclara Damasceni distinctio: καὶ εἰδέναι, ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι καὶ τῆς αὐτῆ βασιλείας τυχεῖν. ἔργῳ δὲ ἵπτι τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μεταχεῖν τῆς ἀγαθότητῆ αὐτῆ ὡς ἀγαθὸς. ἀμαρτανόντας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος. Sciendum, quod DEVS præcedenter OMNES velit saluari Et regnum

*lib. 2. Orth.
fid. c. 29.*

gnum suum consequi: non enim ad pœnam nos creavit, sed ad bonitatis suæ participationem, ut bonus: peccantes autem puniri *VVLIT*, ut iustus. Et subiicit: λέγεται ἐν τῷ μὲν πρώτῳ προηγεμένῳ δέλημα καὶ εὐδοκία ἐξ αὐτῶν. τὸ δὲ δεύτερον ἐπόμενον δέλημα καὶ παραχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας: dicitur prima præcedens voluntas & beneplacitum ex ipso existens. Secunda verò voluntas sequens & permissio ex nostra causa existens. Hanc quoq̄, duplicem facit: οἰκονομικῶν, καὶ παιδαγωγικῶν πρὸς σωτηρίαν, dispensatoriam & eruditivam ad salutem, cum sub cruce & calamitatibus ipsos quoq̄, pios cruciari sinit: atq̄, ἀπογνωστικῶν πρὸς τελείαν κόλασιν: desperatiuam ad finalem punitionem.

XXVIII.

Præcipuè etiam observandum: quod vasa gloria προητοιμάσθη *PRÆPARAVIT DEVS* Rom. 9. 23.
 in gloriam: vasa verò iræ κατηρησμένα coagmentata & apparatus sunt (non à DEO, sed Diabolo) ad interitum: nec illa facit, sed inuenit DEVS: alioqui non odisset, cum iuxta Sapientiam, diligat Dominus & approbet uniuersa opera sua, nec aliquid eorum oderit, quæ fecit: neq̄, enim Sap. II. 25.
 odiosum quicquam effecit: tolerat autem iræ
 C vasa

Rom. 9. 22.
lib. 1 ad Mon.
c. 26.

vasa ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ, eoq̄, satis testatur, neq̄, sua
esse, neq̄, sibi grata. Immo, quod Fulgentius expen-
dit, vasis iræ nunquam **DEVS** redderet interi-
tum, si non spontaneum inueniretur homo habere
peccatum quia nec **DEVS** peccanti homini in-
stē inferret iram, si homo ex predestinatione
DEI cecidisset in culpam. Sed quia causam ini-
quitas suæ ex propria homo habuit voluntate:
propterea B. Paulus **SUSTINUISSE** asserit
DEVM in multa patientia, vasa iræ aptata ad
interitum. Hæc igitur ira ideo talibus vasis in-
teritum reddidit, quia in eis meritum voluntarie
iniquitatis inuenit. Ita Fulgentius.

XXIX.

Ex his itaq̄, colligat pia mens, quid tribuen-
dum sit Calvinianorum commento de duplici Præ-
destinatione una electorum, altera damnatorum:
quarum certum utrobiq̄, volunt esse numerum ab
eterno Deo non tantū cognitum, sed voluntate et-
iam eius perpetua ordinatum vel ad vitā vel ad
mortem æternam: ut nec hi, qui electi sunt, gratia
excidere, nec qui damnandi sunt, gratiam ullo
unquam tempore consequi possint, etiamsi Ecclesie
preces

Gryn. in
quest. illustri:
num pauci
seruentur.
Bez. in quest.
& responsi.
D. Sohnius in
artic. de Præ-
est. par 2.

preces intercedant: utpote pro **QUIBUS**
CHRISTVS etiam non sit mortuus.

Beza in re-
spon. alt. ad
colloquium
Mompelgart.
fol. 217. 218.

XXX.

Ac locutionum harum impietas, immò bla-
sphemia nemini hodie obscura, quod audacter pro
nunciauit Beza: **DEVM** proposuisse, quosdam
homines in hunc finem creare, ut in ipsis suam ir-
ram & potentiam ostenderet. Item: quosdam ho-
mines **DEO** ita exosos esse, ut ab ipso **DEO**
damnentur, ne ijs quidem exceptis, qui extin-
guantur, antequam actu peccent: vitam verò æ-
ternam **IVRE QUODAM** ad eos **SOL-**
LOS pertinere qui ad eam sint destinati. Quod
præterea Zanchius satis confidenter scribit: sicut
electi ad vitam perire non possunt, ideoq; salvan-
tur necessario: ita quoq; qui ad vitam æternam
prædestinati non sunt, saluari non possunt, ideoq;
NECESSARIO DAMNANTVR.
Ibidem. Stat igitur firma conclusio: ex libro vitæ
neminem, qui ibi scriptus est à **DEO** ante mun-
di constitutionem, expungi posse. Nunc addo neq;
quempiam propter eos, qui ibi scripti sunt, ante
mundi constitutionem posse in eo libro conscribi.
Clausus est liber obfirmatusq; signaculis: in die

in Sum. Chri-
stian. pag.
190.

in Miscellæ
neis.

Nota quid
Zanchius ad-
dat.

pag. 227.

In Institut.
lib. 3. c. 21.

iudicij aperietur, ut qui ibi sint legantur. Ac eodem loco: Ab aeterno voluit DEVS, ut aliquibus predicaretur Euangelium, aliquibus non. Calvinus lapsum vult hominem, non solum DEI permissione, sed etiam ordinatione. Nec, inquit, absurdum videri debet, quod dico, DEVM non modo primi hominis casum & in eo posterorum ruinam prouidisse, sed arbitrio quoque suo dispensasse. Ibidem. Nec ipsum quidem per se probabile est, Sola DEI permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum. Item. Lapsus est primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat.

XXXI.

Ezech. 18. 32.
& 33. 11.
Psal. 5. v. 5.
Os. 13. 9.

Quae omnia ex Diametro cum veritate caelestis pugnant, & expressis scripturae locis refutantur: ut, quod iurat DEVS, NOLLE se mortem peccatoris; quod DEVS est non volens iniquitatem: quod apud Oseam disertè dicit: Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium; & quae huiusmodi passim alia patent: quae si pluribus probanda sibi aliquis sumat, Solem ad motis facibus iurare velle videbitur.

De Pa-

De Patrum sententia sollicitè ut queramus,
 haud opus est: quamuis horum quoq; consensu
 non destituimur. Ita enim Fulgentius: sicut, in lib. 1. ad Mo-
 quit, peccatum in DEO non est, ita peccatum nim. 6. 7.
 ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus e-
 ius utiq; non est. Quod autem nunquam est in
 opere eius, nunquam fuit in Prædestinatione eius.
 Item. DEVS omnium hominum opera siue c. 24.
 bona siue mala præsciuit, quia eum latere nihil po-
 tuit, sed Sola BONA prædestinauit, quæ se in fi-
 lijs gratiæ facturum præsciuit. Chrysostomus. Ipse de Conuersi-
 quidem vult OMNES saluos fieri: at non omni- ne Pauli.
 um voluntas eius voluntati obsequitur, neq; ab
 eo aliquis cogitur: unde Θ ad Hierusalem sic di-
 cit: quoties voluisti congregare Θ noluisti. Am-
 brosius: siue igitur nouissima contemplemur secul- lib. 2. de va-
 la seu prima, seu media, rationabiliter Θ pie cre- cat. gentium.
 ditur: Omnes homines saluos fieri DEVM vel-
 le, semperq; voluisse, Θ hoc non aliunde monstra-
 tur, quam de ijs beneficijs eaq; prouidentia DEI,
 quam uniuersis generationibus communiter atq;
 indifferenter impendit.

e. 16 lib. de

Prædest.

Sanct.

In respons. ad

artic. falso si-

bi impositos.

ad 10. art.

ad 11. artic.

lib. 6. hypo-
gnost.

Augustinus quamvis duplicem aliquando
vocationem facit, & interdum speculationibus
suis nimium indulget: rectè tamen scribit: *Omni-
um quidem hominum DEVS creator est: sed
NEMO ab eo DEO creatus est, ut pereat: quia
alia est causa nascendi alia pereundi: ut enim na-
scantur homines est beneficium: ut autem pere-
ant, prævaricatoris est vitium. Identidem. A-
postolus sollicitè præcipit, quod in omnibus Eccle-
sijs piissimè custoditur, ut DEO pro omnibus ho-
minibus supplicetur. Ex quibus quod multi pere-
unt, pereuntium est meritum, quod multi salvan-
tur, salvantis est donum. Ulterius. Detestanda
& abominanda opinio est, quæ DEVM cui-
usq; mala voluntatis aut malæ actionis credit
authorem, cuius prædestinatio nunquam extra
iusticiam est. Et: Prædestinatio DEI multis est
causa standi, nemini causa labendi. Cur autem
illum retineat, illum non retineat, nec possibile est
comprehendere, nec licitum investigare: cum scire
sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non ab il-
lo esse, quod ruitur. Concludit deniq; his verbis:
Tenenda est igitur inconcusse huius disputatio-
nis res*

nis regula, quæ diuinis testimoniis claruit, peccatores in malis proprijs antequam essent in mundo, præscitos esse tantum **NON PRÆDESTINATOS.**

XXXIV.

Quid opus est præterea adducere antiquitatem, cum antiquitas nobis cum Ignatio verissimè sit **IESVS CHRISTVS?** cui vocanti ad se **OMNES**, trahenti ad se **OMNES**, **OMNIVM** miserenti, cunctis gratiam offerenti, credere nolle, profectò manifestus est interitus,

in epist. ad Philip.
Matth. II. 28.
Ioan. 12. 32.
Rom. II. 32.
Sap. II. 24.

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



~~1711~~
~~1711~~

Lit. Lat. rec. A 303^m

... **Q**uod **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an

... **Q**uod **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an
... **S**icut **U**nde **M**an